

... jos.

... Franc. Jos. Colossus ignibus seraphicis refulgens.




COLOSSUS
Ignibûs Seraphicîs
REFULGENS,
D. BONAVENTURA,
DOCTOR SERAPHICUS,
S. R. E. CARDINALIS,
ARCHIEPISCOPUS ALBANENSIS.

Redeunte Annua suæ Solennitatis Die,
In Basilica *Thaumaturgi* FRANCISCI
Celeberrimi Conventûs Cracoviensis,
A
M. FRANCISCO IOSEPHO
DOMANIEWSKI.
In Alma Universitate Crac: AA: LL: & Philosophiæ Doctore ac Professore,



Panegyrico Cultu
CELEBRATUS.

Annô, quô
Altissimus humanam sublimavit naturam 1727.
Die 14. Julij.



CRACOVIÆ,
Typis Hæredum Francisci Cezari, S. R. M. Illustr: ac Rndissimi Dni Episcopi Cracov: Ducis Severiæ; nec non Scholarum Novodvorscianorum Ordinarij Typographi.

In Gentilitium Insigne
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI
DOMINI.



Anglis pulher EQVUS visu, titulis generosus,
Sarmaticis Campis nunc salit, & fit ovans.
Fortunam ex Tabula ludi citus evehit almam
Ut Patriam ditet sorte favente beet.

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ADAMO, SIGISMUNDO De Stanwicz KRECZYK

Ecclesiarum Cathedralium; Piltinensis & Livoniæ CUSTODI,

PRÆMYSLIENSIS CANONICO,

Parochialis *in Tczyca* Curato &c. &c.

DOMINO, DOMINO,

Mecænati suo Amplissimo.



Minentiam Colossi Seraphicis ignibus Refulgentis BONAVENTURÆ Divinissimi, quæ Cœlo conterminam obeliscorũ Ægypti excedit molem, non potuit altius exigua mea extollere svada, quam dum ad constantem Gentilitiæ Fortunæ Tuæ stabilivit sinum. PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Ruunt etenim, nec modum, ut subleventur, habent, etiam prodigiosa Mundi opera, quibus Prænestina Dea, instabile favoris sui fundamentum po-

 nit,

nit; ut in publica statuantur luce, Sarabandæ Tabula stabilior est, in qua quidquid situatur nullo ruentium undiquaq; procellarum impetu commouetur, æternitati duraturum. Vna gẽte gloria Domûs Tuæ non contenta ferme in totum diffunditur Orbem. Circumducta Anglia Oceani portu in Baronum Domo genuit, ipsisq; immortalibûs factis educavit pervetustum Sarabandam Tuum, Regibus domesticum, imò in pectore totum, Reipublicæ amicum, in campo militari fortunatum cùm viderit, Principes honores paravit, & conferret non invita, ni eum Bohemia, totũq; Imperium evocâsset (a) ex eo Scipionem belli & hucusq; decus satũ & gẽtis suæ gloriã habiturũ. Quatiebat Gentilitius Sonipes ungulâ arenam Bellonæ; in qua currendi eum non alia traxit cupido, nisi ad metam victoriæ, alio tramite incedere non visus, nisi per ardua quæq; infensas hostium cervices conculcando. Ad constantem Sarabandæ Fortunam nunquam fortunatus hostis, quoties in arena steterit vel Tubarum classicô perterritus, quibûs vocale KRECZYKORVM per orbem divulgatum nomen, vel Virginis Gentilitiæ pulchritudine captus cessit in spolium. Ludendo vincere hostem KRECZYKOVIIS, & ad calculum numerare triumphos, proprium est. Ex quibus primus in paginam venit Illustris ac Magnificus ELIAS KRECZYK Generalis Exercituum Imperij, qui & nomine & Mavortio spiritu fulmen hostium credebatur. Armorum omnium pondera & Viros bellaces in se uno gerebat; Dux Milesq; bonus, cui vix sæcula parem dabunt. Tanti merita Viri & Herculei labores Equitatûs honore Sacri Romani Imperij & magna bonorum possessione in Silesiæ Ducatu coronata à Rudolpho, (b) ut sic præmium honoris, quietem faciat fatigato, aut eum celeriùs impetibus hostium occurrentem. Evehitur è sepulchrali cinere Magnificus ANDREAS de Stanwicz & in Mokre KRECZYK Pocillator terræ Dobrzynensis Judex Terrestris

(a) Annô 1345. (b) Annô 1573.

ſtris & Bitonienſis AVUS TUUS *meritiſſimus, tàm ſagô indutus inter mille fortes neſcius vinci, quàm Togâ conſpicuus, Ariſtides prudentiâ, Catones gravitate, ſi non ſuperavit, adæquavit. Quoties in Areopago ſedit, ita lancem moderabat Aſtreæ, ut ſingula ejus judicia futura ſint poſteris exemplum, maturè omnia ſtatuendi. Quotquot decreta formavit, formam in omnibus rectè judicandi ſervando, ſecuturis poſt ætates Arbitris reliquit. Locò coronæ pro meritis galeam contra hoſtes induebat. Hâc manu, quâ ſibi & nepotibus ſuis famam perennaturam calamô Pandectis inſcripſit, gladium Martis prenſabat, ut ſic victor in ævū triumpharet. Annorum numerô, non magis gravatus, quàm meritîs, officiô Judicis Annîs* 40. *functus, titulô Baronatûs Sacri Romani Imperij fungitur, à Leopoldo Imperatore* (c) *ſuis heroicis actis & ſuccedaneæ* KRECZYKORUM *Familiæ ſurrogatô. Multorum bonorum hæres è vivis exceſſit, ampliorem hæreditatem in Cœlis poſſeſſurus, eorum in terris* IOANNEM GEORGIUM *de Stanwicz & in Mokre* KRECZYK *Enſiferum Zytomirienſem Parentem Tuū dignıſſimum fecit ſucceſſorem, ſuarum virtutum ſorte legitima ſuperaddita. Fortis forti creatus, non ignarus à gnaro, non imbellis à bellicoſô progenitus Viro, Paterna probitate Magnus, non minor geſtis* IOANNES. *Alemania eum cunis involvit, in ampla poſſeſsione educavit fortuna, nativus Sangvinis circumdedit ſplendor, fortem & Bellatorem Virum Gentilitius SONIPES Sarmaticis intulit Campis, ex illis immortales gloriæ palmas collecturum. Cum peritia linguarum propè omnium, quarum idiomata optimè novit, natus eſſe credebatur, quod alijs vix audire conceſſum, non tamen callere, dicere potuit delectando, & in ſtuporem rapiendo, quòd in uno capite omnia complecterentur. Alias præcelſas animi dotes ipſa fama alata, etſi ſuîs immortalibûs pennîs copioſis inſcribat faſtis, adhuc tamē vocalibûs* SARABANDÆ *Tubîs, toti Mundo divulgat, ut clariùs audiantur. Quòcunq; procedebat, vel ſibi triumpha-*

(c) Annô 1691.

les in trophæa accenderat ignes, aut victrices è vestigijs ejus pullulabant laurus in coronamentum exantlatis temporibus abituræ. Quòcunq; steterit contra hostem, vix viderit, vicit ita, ut etiam victis ab eo vinci esset triumphale. Capitaneatus primarius militaris Germanicæ Equestris legionis Illustrissimi olim ac Magnifici Domini Martini Kącki *Castellani Cracoviensis, protunc terrarū* Kijoviæ *Palat: Generalis Artileriæ Regni Supremi Præfecti non immerito ei cessit, qui primò & ad prælia, & ad victoriam prorumpebat, unus castra faciendo. Bellicæ; Camenecensis, Zoraviensis, Bukoviensis, Budziacensis aliæq; plurimæ expeditiones Achillem fortissimum testantur. Othomanica Luna cornua sua ad occasum inflexit feralem & gravem passa ecclypsim, cùm ei Mavortium suum opposuerit vultum. Tartarorum Sarissæ, arcus exitiales ad interitum Aquilæ Polonæ extensi, tunc attenuati, ubi ille Sonipedem suum illis opposuisset, & victricis Fortunæ suæ manu contrivisset in arcus triumphales suo Domitori Sinuandi.* IOANNES III. *cum tota Serenissima Republica Polona, pro cujus integritate in medios ire Satellites, vitam exponere fatis, & pectus telis non trepidabat; de speciali sua gratia, & annuentibûs universis statibûs Regni*Magniq; *Ducatûs Litvaniæ prærogativîs* (d) *Indigenatûs tot hostium Victorem coronavit, capacem omnium honorum utriusq; Gentis cum tota magna Familia per seras ætates duratura autumavit. Non suscito* Manes; *Magnificum olim* GEORGIUM KRECZYK *Fratrem Avi Tui æstimandum Mareschalcum Supremi Ducis Exercituum* Ioannis Sobieski, *cui quoties præferebat Scipionem, ipse Scipio infractus, toties meritîs & armato fortitudine pectore contra hostiles impetus præire videbatur. Contulisset ei primos Regni honores Coronatus* Ioannes *in adoream, ni priùs ille fatis cessisset.* IOSEPHUM KRECZYK *Iudicem Terrestrem Bitomiensem Majorem Sacræ Regiæ Majestatis, Germanicæ Heroū Cohortis, Patruum Tuum; qui & Themidis & Martis gladiô fuerat fortissimus Hector.* Nicolaum

(d) Annô 1685.

laum de Dembiany Dembiński *Iudicem castri Becensis, Camerarium Graniciensium Prossovicensem, Genitricis Tuæ Parentem, qui quidquid fecit in vita, & in Areopagu; tàm Becensi, quàm Cracio tempore Interregni Capturalis Iudex, supra calamum est.* Ioannem Dembiński *Camerarium & Vicepalatinum Xiaznensem Avũculũ Tuũ, ore & calamô pro Patria disertum, ore multoties Legatus tonabat Pericles, calamô Librum Sermonum Comitialium pro suo honore perorantem fecit. Adauget vivis famã meritis Magnificus* Paulus *de Stanwicz* KRECZYK *Judex Comitatuum; Plesnensis & Bitomiensis Patruus Tuus Vir scientiis & maturô judiciô præditus. Ex Ternione Fratrum non minorem sortem gloriæ habes. Primum* Andream *Majorem Exercituum S. C. M. Generalem curæ publicæ & duxi pro Patria labores gloriosum, in ævum fæcere. Dux erat ille Ducum unô ictu Patriam defendens, virtute cuncta adversa vincebat, in se uno omnia bellorũ præparamenta præferendo. Ruebat impiger jurato pectore Marti in omnem hostem Heros, nullô superabilis, strictô ferrô ampla Turcarum prostraverat castra. Gallorũ Lilia audaci manu in corymbũ suæ emeritæ frõti decerpsit. Sub Belgrad in conflictu generali occubuit, cupressumq; retulit feralem, sed ex ea immortalem palmam habiturus. Excrevêre in* Iosepho Andreæ *virtutes, merita maturescunt, copiosum magnæ* KRECZYKORUM *Domui fructum allatura. Aqviliferi titulô gaudet S. C. M. ut non degener Aquilæ Polonæ pullus credatur. In una arena cum Fratre hostem profligavit, simul reportavit triumphum, sub ejus labaro ipsa meretur stipendia virtus, cui nihil gloriosiùs est, quàm* IOSEPHO KRECZYK *militare. Lætatur Bellona, quòd tantum possederit virum, cui ipse Gradivus succumbit. Evolavit supra calami celeritatem* Michael *sub umbra magnarum alarum Aquilæ Claromontanæ Virginis quiescens; Palmâ* Pauli *pro meritis coronatus. In arena erudita Craciæ Pallados ad metã profect⁹ currebat, in Claro Mõte cursũ terminavit, ut sic expolitus pulvere Scholastico aut emineret clariùs, aut lucem*

sapien-

ſapientiæ ſuæ exhiberet. Prothaſim ex Majoribus Tuis, Fratribusq; Fortunæ Tuæ vide, Tu ipſe Apodoſis eſto, Perilluſtris & Reverendiſſime Domine. *Circulus anni, qui Te cunis involvit Fortunæ rota dicendus. Arena viventium, quam calcaſti puer, Gangetica appellanda. In tenera ætate illâ gravitatē prætereferebas, quam ipſi anni temerare non auſi. In Soboleſcente ſangvine magnam ſpem Parentibus & Aris remonſtrabas. Sciebas Muſas Cœli Filias in amænis floribus hoſpitari jucundisſimè, quæ tantò gratiores extiterant Tibi, quantò Divinis earum fontibus uberiùs ſtudioſam applicuiſti ſitim. Felicius ſe non vidit Olomucium, quàm dum Faſciculo Florum illius roſeum ætatis Tuæ Tyrocinium admoviſti, & ita inter Iuventutis maturuiſti flores, ut ſenili conſtantiâ excelleres omnes. Currebas qer ſcholaſticum campum, nunquam Stationarium agens, ad luctam alios evocabas fortiſſimus Alcides, ad finem gloriæ collimando. Quoties ſubtilem demōſtrabas carmine Vatem, exanimes buſtis Marones more inſolito ſuſcitabas. Quoties mare Tullianum propinabas, ipſe Tullius, quē Roma ſtupebat, credebaris redire. Quoties argumenta promovebas in filo, ſolvebas dubia, ut animos ligares. Quidquid Angelicus de Trino Numine ſenſit Aquinas, aut Auguſtinus ſcripſit, ſedula illimiq; mente profundè percepiſti. In Collegio Cæſareo-Pontificio Congregationis Viſitantis Mariæ Rector ad exemplum Te alijs rexiſti, Matris DEI honorē zeloſiſſimè promovendo. Marceſcunt aliis Laureæ, antequàm matureſcant, Tuam frontem Doctoralis exambivit Corymbus ab effuſo ſudore vigorem habituræ. Defenſionibûs duarum Concluſionum publicis in publicam Tuæ ſapientiæ æſtimationem magnam Hoſpitum coronam provocaſti. Laborem Tuum* Szembecianæ Roſæ, *dum primum* Staniſlai *à Slupow Primatis Regni, ſecundum* Ioannis Chriſtophori *Varmienſis Ducis & Epiſcopi conſecraſti Nominibus, coronarūt, Teq; Victorem fecerunt. Hinc Craciam adveniſti Vrbem hoſpes non ingratus* Illuſtriſſimo *olim &* Reverendiſſimo Domino MICHAELI *à Slupow* SZEMBEK *Epiſcopo Paphenſi*

Suffra-

Suffraganeo Cracovienſi, qui Te lateri & pectori admovit, imò arcanorum conſcium fecit. Tandem Te Cracio Horizonti Heſperius avocavit. In Sapientiæ Romanæ Archilycæo ſtupebant nonniſi Profeſſores celeritatem ingenij Tui, non capiti quidquam addiderunt. Impalleſcebas Legum Voluminibus, capite eorum Bibliotecam gerens, verſabas Canones, ipſe canon virtutum factus. Rubricam audiviſti de beneficijs pro gratitudine referendis; in Proceſſu Iudiciario, quomodo procedere ad Honoris faſtigium virtutis tramite, quomodo appellare à vitijs, praxim jam habitam perfeciſti. Inde ſapientiâ clarus, conſiliô promptus, gravitate maturus, moribus nationum gravis, quas luſtraſti Lynce pupilla, in Patriũ ſolum reverſus Celſiſſimo *ac* Illuſtriſſimo Domino IOANNI CHRISTOPHORO SZEMBEK *Varmienſi Epiſcopo & Duci totus adfuiſti, in Tribunali Radomienſi, cum officiô Præſidentis fungeretur, particeps & pars mentis Præſuleæ fueras. In omnibus Comitijs Comes Principis extitiſti, non ſine Tuæ gloriæ comitatu. Applaudit Tuæ Fortunæ Honor, ut emeritæ virtuti in ſtipendium cedat. In limite Regni Cuſtodiam Cathedræ Piltinenſis & Livoniæ tenes, illimitatè ad altiores Honores progreſſurus, invigilas Cuſtos, ne Oves ex alieno ovili ſordida hæreſi inficiant hædi. Stallum præoccupas in Præmyslienſi Cathedra decus illius Canonicus, omnibus par meritis, æſtimatione non minor. In Tczyca Curatus, in curam Animarum & Eccleſiæ animum ſalutemq; impendis. Sub Te centoculo Argo difficilis vitijs ad ovile acceſſus. Ad Tuam irretortam pupillam omnia ſcelera excæcantur. Perſiſtit pęna in meritis Tuis, Illuſtriſsimas Magnarum Familiarum Ceras attonita miratur. Videt hic* Illuſtriſſimũ *ac* Magnificum Dominum MICHAELEM *de Tarnow* TARNOWSKI, *Caſtellanum Siradienſem Avunculũ Tuum, Senatorem non minùs ſeniô, quàm meritis gravatum, audit gratô ſuſurrô fluentem, ex Matre Aviæ Tuæ* OTVINOVSCIORVM Srzeniavam, *Maternam* Virginem DEMBINSCIORVM Ráwicz, *ad metam glo-*

riæ currentem, triumphalem Pankorum Osmorog *Aviæ ex Patre decus veneratur. Circumdant Splendoribûs suîs nativîs Tuos Splendores* SZEMBECII, Piegłovscij, Uieyscij, Grotovij, Poniatovscij, Lipscij, Zbarascij, Lanskorońscij, Kaccij, Rupniescij, Zaćwilihowscij, Celarowij, Suleńscij, Braniccij, Wybranovscij, Straszevscij, Borkovij, Trzebińscij, Bełzeccij Starowieyscij, Moszyńscij, Dobieccij, Paczyńscij, Gawłowscij, Opaccij, Tymińscij, Rabsztynscij, Kochańscij, Sławinscij, Makowieccij, Kamienieccij, Pruszynscij, *aliaq; Orbis Sarmatici sidera, cùm quorũ unita virtute clariùs refulges. Quare ad hæc lumina collecta* DOCTOREM Seraphicum *exiguâ pagellâ TIBI offero, Hic de TVIS meritis Orbem erudiat universum, ego voveo ut prosperis Magnorum Honorum affluens successibûs, quantocyùs consistas in auge.*

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMÆ;

DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus Servus &
obsequentissimus Cliens

Author Operis.



ORATIO.



PHaetontem aut Icarum forsitan judicabitis AA. qui in sublime encomiorum DOCTORIS SERAPHICI BONAVENTVRÆ culmen temerario ausu progredi volareq; contendit. Affinis enim est Superis BONAVENTVRÆ altitudo, humana capita excedit, & in primis tentamentis Rhodũ ponit dictioni. Supra ingenia Oratorum elevata Ejus gloria, Cœlô Genus dicendi nactum, ut veniat, exposcit. Non unô Sæculô desudant Laudatores, ut quidquam vocali famæ, tanti DOCTORIS consonum, in publicum prodant, sed cùm in Cardinalitiam Rotam incidant, ceu Sisyphi volutantes saxum, ruunt vertiginem capitis patientes, nec metam encomiorum attingunt. Vno pollice gestare Mundi machinam, ne ruat, faciliùs Atlanti, quàm CARDINALEM Divinissimum mortalî lingvâ celebrare. Faciliùs stillatim Maris Euxini numerare lymphas, quàm Ejus Cœlo receptas virtutes, aut plenissima æternitate coronatas. Meridiantem Principem Planetarum Phæ-

bum indigitare, vel inexhaustum adimplere Oceanum guttâ, idem est, quod amplitudinem BONAVENTVRÆ, exiguô palmô metiri. Integro Sole non luminibûs Oratoriîs illustrari periodos deceret, Stellas pro literis à calamo fundi, ubi Primæ Magnitudinis Sidus Seraphici Cœli celebrandum. Si non extra Mundi Orbitam, ultra terminale Herculi fretum indagandi Hortensij, labiîs rosas pro verbis fundentes, ut non affecti verecundiâ DOCTOREM audeāt coronare. Purpurati Arpinates ad Purpuratum pallescunt timentes, ne Sanctimoniā vitæ, si laudare velint, profanent. Platonum nectar & Isocratum hyblæ amarescunt, quoties Cœlo dulces & Orbi, MINISTRI virtutes prædicare attentant. Atrô sepia vestita colore, si quæ immisceatur *Cardinalitiæ Purpuræ*, piaculum luget, & in pænam temeritatis, quòd ausa denigrare probitatum candorem, ad pressorium torcular destinatur. Absoluta Eloquentiæ Majestas, ad *Cardinalitiam* feudatoria Eminentiam, nec libera in animo Oratoris suum dominium exercet. Divite verborum non audet tumescere apparatu, ne Regulam Minoris Ordinis solâ paupertate satiatam præsumat violare. Protensæ auxeses, adeò Regulari Observantiæ fune constringuntur, ut vix ejs sensum exprimere, non ampliare concessum. Ornati sermonis fluiditas, alibi suprà margines Tulliani æquoris exundat, hìc non tàm fervente elambitur Sitiô, quàm Seraphicîs ignibûs exsiccatur. Verùm quanquàm Oratorius hebetatus stylus, tamen ad solidas BONAVENTVRÆ virtutes exacuitur; depressa Eloquentia, ad Ejus Eminentiam elevatur. Humilis svada in altum

Tanti

Tanti DOCTORIS eluctari pertimescens, Seraphicas alas præsto habet in suppetias. Argumẽta in filo ducentur, ubi connexus DEI Hominis amor cum *Francisco*, Cœlô usq; protendit funiculos in Alvernum. Lumina Oratoria si hodie extinguantur, Seraphicîs flammîs triumphalis rogus BONAVENTVRÆ accendetur in applausum. Iàm ergò spe freta securiori, perge feliciter, quà cœpisti tenuis facundia. Ne in longo itinere encomiorum DOCTORIS aberres, *Francisci* Dextra nõ invium demonstrabit tractum, quæ adjuncta alteri fædus certum dicendi pollicetur Oratori. Ad quadratum Biretum nihil non perfectum dicetur, ad Galerum Cardinalitium nulla non rotunda periodus formabitur. Culpam pro ausu temerario non vereare, quòd CARDINALEM venerari præsumas, cùm ab ea, Albanensi Archipræsulea Cruce absolvaris. Fundatus optimè in Divinis scientiis BONAVENTVRA nutantem animum confirmabit in proposito. Non solùm purpurâ, ast splendoribûs Religionis Eminentissimus, umbras disperget, & Orationis humilitatem sublevabit. Proinde BONAVENTVRA DIVINISSIMVS Colossus Seraphicîs Ignibûs Refulgens à me hodie exponetur. Supra omnes rerum sublunarium moles consurgis DOCTOR DIVINISSIME, qui virtutũ & meritorum altitudine Colossus in Seraphica Religione superemines Orbi Christiano, Oratoris animum confirma, ne cespitet in ulterioribus encomiorum Tuorum progressibus. Vos verò AA. Artificio erigendi Colossi inter Seraphicos ignes, Frontis vestræ serenum, opemq; benevolæ Attentionis non negate.

 Stu-

Stupendæ ingentiũ operum moles, operosa sagaci mortalium industriâ Colossorũ molimina, spectatorem Mundũ pridem in sui rapuerunt stuporẽ. AA. Quidquid etenim experiẽtiæ industrius artificũ conatus in praxi demonstrare potuit, id totum cũ effuso sudore in sublimibus reposuit Colossis, & Orbi exposuit ad mirandum. Alij verticibûsq́ summîs Cœlorum postes feriebant, alij ære aurôq; præcelsi, & Pyropô imitante flammas, oculorum aciem convertebant. Decantatæ per Oras & oras Gentium buccinante famâ Pyramides, ipsâ Nominis resonantiâ vigiles concitabant aures, & curiosam spectatoris pupillam externo splendore delectabant. Dubitavit Parens rerum natura, nùm eis parem materiam producere possit? ex qua fierent; sudavit peragrando terræ viscera, obstupuit, cùm invenit. Vidit Orbis & miratus non minus impendium in sumptuoso Lyndij opere Solis Colosso, ad cujus non solùm altitudinem mensurandam, ast unius crassitudinem pollicis, centimanæ Briariorum dexteræ quærebantur. Reposita intùs miræ magnitudinis saxa, plùs quàm mille camellorum onus æris multitudo ab extra vestiebat. Dubiâ Rhodus volutabat mente ipsumne Phæbum? an Phæbi habuerit simulacrum? Hinc accollis splendor statuæ arridebat, nocte tenebrosa diem accendens; illinc die Solem, quoties se se æquoreis tollebat ab undis, in medium conscendere Orbem animavit, ut tantæ molis videre possit, aut venerari eminentiam! Sed quid mihi cum illis Colossis? quibus innatum est ex fragmẽtis componi, ex athomis in excelsum tumescere, & tandem dissipari. Magnitudo illa, quam vidi-

stis

ſtis; diminuta, altitudo depreſſa, ſumptus conſumptus, ſplendidus diſparuit apparatus. Sacrum Phæbo ſimulacrum violento terræ motu proſtratum, nullô venturi ſæculi luſtrô ſublevandum. Vaſtatur ampla Iovis Domus, Chrobreticam Columnarum famam abſorpſit irrevocabilis unda, & Mundi Machina, quotidie quaſſatur. Omnia tẽpus conſumit, ſola gloria BONAVENTVRÆ, cum tempore intercidere nequit. Sacratior Ille Coloſſus ignibûs Seraphicîs refulgens conſurgit, qui uno nomine virtutum Iliadem complexus, ſeipſum exemplum Orbi dedit & miraculum. Cunctabantur per ſæcula propitia aſtra, (a) antequàm in tantam influerent indolem, imò non unô impendiô, ut in dotes Pandoræ. Altitudo virtutum ipsa ei naſcendi primordia dedit, Orbem in dubium traxit, utrùm & quando initium ſumpſerit. Vix in lucem editus Divinus Puſio, veluti dives radiîs poſt nubila Titan non ſolùm natale Solum Balneoregium, aſt totum Orbem beavit ſplendore. Veneratur Eum Adriaticum Mare, adorant nomẽ populi, procedit in medios fama Auſonidas (b). Fortuna Eum ſuîs manibûs fovet, amicô complectitur gremiô, celſos honores appromittens. Excelſa Alpium juga, & ſuperba culmina Appenni acclinantur Infanti. Exundat ultra Lavina littora Siculum fretum, ut vagienti in Cunis BONAVENTVRÆ aut balneas præparet, aut gratô ſuſurrô lentum ferat ſoporem. O rarîs ætatibûs generãdum Infantem! Qui cùm naſcitur, ſpem optimam Orbi Latio parit, Patri famam perennaturam dedit, ſi à ſangvine non accepit; maximã

(a) *Nativitas.* (b) *Italia.*

Parentum gloriam esse, se majores procreâsse natos demonstravit. Consumit alios Colossos lympha lambendo, evertit cùm alluit, deturpat cùm abluit, BONAVENTVRA cùm sacrâ Baptismatis circumdatur undâ, magìs crescit. Cùm alluitur resurgit, cùm abluitur caliginosîs noxæ originalis depurgatur mendis, (c) inter Seraphicos Franciscanæ Religionis ignes candidior surrecturus. Memnonis Statua arridente, etiam Titaneo vultu in mutum obrigescit Saxum, BONAVENTVRAM *Sole Iustitiæ* Illustratum, Pneumate Divinissimó Animatum, gratam Cœlo & Orbi virtutum decorumq; harmoniam proferentem observando. Huc oculos, huc mentes convertite quæso AA. dolendam in rebus Sublunaribus metamorphosim, miremini & videte. Conspirant cō-jurato fœdere in altitudines, tàm virtutis quàm molis, stridentes Aquilone procellæ, ut quatiant. In excelsos in Libano Cedros Æolio carcere emissa ventorum flabra cæco præcipitant turbine, ut evertant. Sæviunt minaci fragore Cyclopea tela in Turres & Colossos elatos, ut deprimant. In gemmantes nitidîs floribûs hortos agit fortiter æstifer Sirius, ut decoquat. Invida tàm gaudijs, quàm gloriæ fata, spem Orbis & Vrbis cum Nato Infante extinguere conantur; (d) acsi cùm incepe-rit vitam, satis ad gloriam vixisset. Consurgit sæva ventorum rabies structuram Colossi in altum elevari non permittit. Non parcit expensis Mater mæstissima, cujus saucius rodit viscera dolor, in curam morbi non solùm opes, sed se solam effundit, ut Mundi totius valetudini in uno Filio possit

(c) *Baptismus.* (d) *Morbo gravatur.*

poſſit ſubvenire. Concurrunt ſagaces Æſcûlapij, peritiores feſtinant Galeni, meditantur nonniſi BONAVENTVRÆ de remedijs, non medentur. Quid eſt? ſiccinè vix apparuit BONAVENTVRA Mundo, ex oculis diſparebit? vix ſtruitur, diruetur? vix conſurgit, patietur caſum, & in fatales reſolvetur cineres? minimè. Virtute non mole Coloſſus eſt, communi cæteris non ſubjacebit ruinæ. Iacentes Columnæ Scalprîs, malleîs & limîs vexantur, antequàm in altum educãtur; BONAVENTVRA in tendentia modòprimùm ad Coloſſi magnitudinem, cùm morbô inficitur, perficitur. Moles virtutum Ejus opprimi, non obrui poteſt. Innocentia, inter nocentia fatorum diſcrimina, tuta. Tenellus BONAVENTVRA flecti ut arundo poteſt, non frangi, etiam inter malorum decurſus bona de ſe auſpicatur vẽtura. Precibûs ſuîs, quas ad Superos fundit Ritela, (e) ferientia fatorum tela avertit ab Infante. Ne ſubitâ extinguatur tempeſtate, totum Seraphico Ordini devovet. Piîs manibûs ad Aram *Franciſci* ſublevavit *Victimam*, ne caderet; ne moriatur, Mundo mortuum facit. Secundò propè renaſcitur Puer, ſed ſecundîs avibûs, quia ſemper ad gloriam, ut Orbis videat, Vocatos in ſortem Domini & ſemel naſci, & ſine miraculo vivere, impoſſibile. O miraculum! inter faſcias mens BONAVENTVRÆ obligata DEO, necdùm graditur, jam Ordinem ingreditur *Franciſci.* Quid ſit fides? nec dicere, nec credere poteſt, jam eam Superis vovet. In Cænobio Orbis inter mortales Novitium agit & Profeſſum in gremio *Franciſci*; vel exinde Co-

(e) *Mater promittit Eum Religioni.*

lossus Ignibûs Seraphicîs ardens nuncupandus. Crescit Puer ad magna natus, Cujus pubescens viriditas ætatis, aurea fertilitas erat, quæ campum aperuit Indoli ad summum dignitatis fastigium; & tot luminibûs, quot virtutibûs illustravit. Tantîs splendoribûs à teneris adauctus, (*f*) ut maturîs miracula gestîs exhiberet. Nullus Eum gestus decuit, nisi quivis ad maxima natum. Ad quem spectandum confluebant populi, veluti Ausonia ad Tiberium Titum. Extra ætatem summis par omnibus, sed quid dico par? imò ipsos Annos, & Philippi, Pompeij, & Alexandri magnitudinem superavit. Magnanimo ausu ardua solùmmodò prensabat, perfectæ vitæ compendium exhibendo. Currunt multi audacî passu per juga, per salebras, perq; discrimina rerum, rident in casum vergentes, ipsi casses è vili stamine tensas non effugiunt; ferunt hyblam ore, sed & mentem vendicatam astu. Gerunt frontem lucidam, sed pectore fulmina & ignes tacitos tegunt, summa incendia minaturos; Solum BONAVENTVRAM natura omnigenîs dotavit dotibûs, sed illîs, quæ optimæ sunt, ut unus dispertitas habere videretur. Novit perbelle inter Seraphicos Ignes virtute innata eminere, esse proprium, sed sapientiâ, gloriosum; ad Palladianas Athenas alacer descendit, (*g*) honestîs artibûs secuturis præludere factis, pro maximo sibi proponens. In Scholastica arena, quicunq; videt BONAVENTVRAM, fortunatum proclamat, & eum felicem ingeniô, cui docendus tradebatur. Lassantur alij studendo, BONAVENTVRA cùm discit, recreatur & do-

(*f*) *Tenera ætas.* (*g*) *Studia.*

& docet. Illos per jocum capiebat diſcurſus, quos tandem ſeriò tractare non erubeſceret. Haud ignarus: honeſtiores Iuventutis non eſſe ludos, quàm illos, quibûs ad ſeria aſveſcimus tractanda; & ſic in adoleſcentia ludere conſentaneum, ut dignus in ſenio fructus referatur. Luſus ei erant Palladianæ luctæ certamina, operosâ fronte nunquàm riguos ſudoris elicuit liquores, verba cum formaverat, ſententias proferre credebatur. Submerguntur alij Aonio latice, & Heliconio abſorbentur amne; BONAVENTVRÆ non ſolùm per hos, aſt etiam Tullianæ Eloquentiæ profundum Sors ſecurè natare conceſſa, ubi illas ſuadæ colligebat gemmas, quæ divitis Gangis ſuperabant pretium, in Coronam Ei ceſſuræ. Fatuos ignes & ficta in ornato ſermone, non curabat lumina, niſi quibûs in ævum Coloſſus arderet. Vincebat mentem Cleantis ſtudiosa ſolertia, & impiger diſcendi ad libros provolabat cura, ne unquàm paginas ventilare ceſſaret, ſed ut (*b*) magìs ad lucernam ſcintillaret, Saraphico Ordini admovetur. Squallet aliorum animus, obrutus caligine denſâ, quoties mente memori multa luſtrare conantur, Annorum decades, & vix non ſæcula morantur; BONAVENTVRÆ modici ſuffecere quadrantes, nunquàm ſub Alexandro de Ales (*i*) tempus profugum effugiſſe quærebatur. Ipſa Pallas viridem Ei Palmam videbatur ceſſiſſe, & omnigenam ſciendi referâſſe methodum. Quidquid Socratidæ in Argolicis colligere Lycæis, quidquid Divinus Plato vel Zeno togatus impreſſiſſe chartis poterant, & quidquid loqvacia Stoæ protulere

C tulere

(*b*) *Ingreſſus Religionem.* (*i*) *Præceptor Ejus in Monaſterio.*

tulere atria; BONAVENTVRÆ omnia patuêre. Solem Doctorũ Augustinum, tàm benè in pectus conduxit, ut non tantùm Stadiodromos in una secum arena certantes ad æmulationem accenderit; ast Professoris quoq; animum illustrare videretur, Solem se exhibuit Aliti suo sapientiâ supra alios evolanti, quem etsi irretortâ hauserit pupillâ, fontem luminis mirando, non absorpsit. Sed quid fecisti BONAVENTVRA Divinissime? Colossus es quem Orbis Lycæa capere non poterunt, quòmodò Te Minorum Ordo comprehendet? utiq; Regna excelsis mentibus ultrò dicantur, multa imperia Corymbos festinãt conferre, quævis Calydon adauget vires Herculis emeritum caput cinctura, & Apollinem Delphi deposcunt; Magnis magna placent, Tu infima petis. In umbris Religiosis, quomodò ardebis? in stricta Observantia arctabitur magnitudo, altitudo inter humilia deprimetur. Non terrent proposita pericula BONAVENTVRAM, nec à proposito perseveranti semovent. Cæpta tenet tenax, nec solutam à littore navim in medio deserit mari. A cunis electam ingressus Religionem, gloriæ magnitudinem non arctavit, imò fecit majorem, Colossus etiam in puteo Colossi nomen non amittit. Pigmæus in culmine montis centimanum Gigantem non excedit, sub modio candela non extinguitur, ignis profundis terræ visceribus inclusus, in altum erumpit. Colossus BONAVENTVRA in Alverni monte humilitatem professus, ut altius resurgeret sub alas *Francisci* celeriori accurrit passu, ut illis, ignis Seraphi-

raphicus in cunis adhuc pectori inclusus sufflaretur. Nomen cathalogo, simul & perennantibus gloriæ fastis inscripsit. Candorem nigricante veste induit, ut ab oppositis clariùs elucescat. Silētium spopondit, vocalis toto Orbe proclamandus. Grassatur pestis in omnes, affigit & affligit lectis alios, Colossum BONAVENTVRAM & si totus labatur Orbis, non feriunt ruinæ. Cùm ad infima Fratrum obsequia demittitur Maximus, (k) ultrà Cœlos effertur. Æternitati Trajanum involvit purpura, quâ cœsorum satellitum involvebat cicatrices, BONAVENTVRÆ ipsa ægrotantium vulnera immortale Elogium fusô sangvine præscribunt. Expolitus pulvere Scholastico Colossus BONAVENTVRA, igne amoris erga Deum & proximum accensus, ad thuricremas Divorum Aras situatur, (l) Hìc robur & eminentia videatur Colossi, ubi ad Primitias tremendi Sacrificij solidas Briariorum Vires excedit, Olympum Cœlorum bajulum superando. *Quem* Cœli capere non poterant, Ille suîs manibû in altum levavit, cum quo ingens terrarum pondus, Cœlorumq; machina sublevata. Igne alij consumuntur Colossi, BONAVENTVRA *Igne (consumente DEO*, intùs & extra circumfusus accenditur, non consumitur; vel exindè quidni & Seraphicîs ignibùs ardens confirmetur. Non sola vetustas superstitiosis simulacris Panchæa thura dabat, etiam Noster Colossus, flammîs adolescit Sabæîs, mirum odorem Mundo & Cœlo prolaturus. Doctoralis laurea sublimem sapientiæ verticem, (m) ambire exambijt, Colossum ignibûs

(k) *Ægrotis inservit.* (l) *Sacerdos factus.* (m) *Promotus Parisijs.*

bûs ardentem triumphalem redditura. Parisiensium Doctorum Annulus in Orbem mutatus digitum BONAVENTVRÆ, axem sui habere exposcit, qvô æternitati fuerat desponsandus. Septimô Religiosæ ætatis consummatô Annô Vir in scientijs ut octo evasit perfectissimus; Orbis Magistram Laurearum fæcundam Matrem Sorbonā erudire cæpit. Vbi qualis quātusve Professor suo munere fungebatur, ex *Libro Sententiarum* luci publicæ exposito (*n*) Orbis sensit, multorum sensus, antèquàm profunda perceperint scrutinia, fatigati. Seraphicus Discipulus Seraphicè docuit, doctrinâ Seraphicâ suprà Cœlos evolavit; à quo ipsæ Cœlestes intelligentiæ discere cupiebant. Fortunârunt Cæsarum Annos Ausonij, non tamen beavêre in ævum, delectavit Pyrrhum ore Cyneas, non satiavit. Extingvere stragibûs Orbē erudivit Sophorum Princeps, Pellæum Iuvenem, non Cœlos possidere. Beatiores BONAVENTVRA Seraphici Iuvenes, quorum adeò labore suo expolivit animos, ut omnium specierum, acsi speculum, extiterint capacissimi. Ex *Libro de Sapientia Æterna* sapientissimè collecto, nihil nō Divinum, nihil non sublime sapere studuerunt. *Viginti Passûs* ad virtutem virtuosâ decempedâ, Doctoris emensi, singulos, totumq; Discipulum Orbem de virtute in virtutem procedere animabant, quibûs Ipse ad culmen honoris pervēturus. *Infantis DEI* eruditâ manu calebrata *Festa* maturam CARDINALIS gloriam in ævum celebrabunt. *Elingve Verbum* disertô calamô prolatum, vocale Nomen SCRIPTORIS æternitati proclama-

(*n*) *Libri ab Eo scripti.*

clamavit. *Sanctimoniam Vitæ* SERAPHICI PATRIS in libris & Se ipſo expreſſit, ex cinere ſuſcitavit Phænicem, ut & vivum prototypum ſibi haberet, & Orbi èxponeret ad legendum. Cujus ignibûs quòd refulgeat Coloſſus, haud immemor beneficij, quomodò Parentes in Filijs debeant vivere, cùm dederint vitam, & quomodo poſſint immortales eſſe, demonſtravit, *Sanctus pro Sancto laborando.* (o) Aquinatem adæquavit ingenió, pietate imitatus, uterq; Doctorali laureâ; Ille Angelicâ, Hic Seraphicâ redimitus. Soles Eccleſiæ ſi nominaverim, non errarem, in neutro ardor, à charitate non ſecernitur, unus clariùs, alter ardentiùs ſcripsêre. Sub uno Doctore Christo ſtuduère, ex uno ſuggeſtu Crucis lectionem audivêre, hac in Bibliotheca profecerunt. Ex ea Palæſtra BONAVENTVRA prodijt, ex qua Pallas prodire, glorioſum putaret, quòd plurima volumina ſcripſit non mirandum. INCARNATA SAPIENTIA, ut Se pleniùs infunderet calamo Doctoris, tot fontibûs ſcaturijt, quot aperta vulnera patent. *Liber* intùs & foris ſcriptus, ne profunda arcana BONAVENTVRAM laterent, expoſuit ſe in Cruce legendum. Non hic magnitudo terminatur Coloſſi, adaugent ſplendorem ſcientijs, illuſtriores honorum tituli, quos ad ſe virtutibûs & meritîs allexit. Deduxerunt Monſtra Herculem ad gloriam, Pyrrhum prælia, ad Epirotharum Regnum, Iaſonem fluctus ad aureum vellus; BONAVENTVRAM ad augem dignitatis, probitates & ſcientiæ extulere. Hiabant Infulæ fatigatæ concurſu ad emeritam frontem,

 aperto

(o) *Divi THOMÆ AQVINATIS de Eo verba.*

aperto semper ore fatigabant Superos, ut quanto-ciùs BONAVENTVRÆ capiti insilire valerent. Sidonio murice tinctæ purpuræ, aliorum supereminent lacertis; Illius substernuntur plantis, maximum honorem exindè, si acceptentur, habituræ. Quibus, si non suscipi, calcari saltem ab Illo, non inglorium erat. Fortunatius se vidit aliîs dignitatibûs Ministerium Generale, (p) cui primò BONAVENTVRA obediens inclinatus; maximum in Seraphico Ordine honorem, Majorem fecit, cùm spontè suscepit. Aliter namq; eminere noluit, nisi se ad omnium obsequia demittendo. Subditum in Præside egit, cùm jussa priùs præstaret, quàm imperaret, eô solùmmodò servô major, quòd omnibus præiverit exemplô; quô ut Magnete trahuntur subditi, ad cuncta optima peragenda, hàc sibi omnes eundum intelligunt, quà Princeps præcessit, nec expectāt imperia, cùm actîs præeuntibûs moneantur. Titan honor est, quem virtus Aurora præcedit, multi eum seqvuntur, acsi Numen quoddam venerantes, cujus splēdorem non uni videre concessum, paucis tamen illô gloriari. BONAVENTVRA ignibûs Seraphicîs refulgens Colossus, Solem ejusmodi nec videre, nec eo potiri exambit. Contemptus honoris honor ei maximus est, & per calcatos incedere fasces, eminentia. Exponitur Eboracensis Cathedra Ministro Generali, sed hôc ipsô non celebris, quia spreta ab Eo, (q) qui semper recenti memoriâ tenuit: eos, qui ad purpuram lacertos extendūt, plerumq; inferiores demonstrari. Abnegatio honoris non raró magnitudinis argumentum. Sed

vide

(p) *Minister Generalis factus.* (q) *Episcopatum Eboracensem recusat.*

vide, qvid agis BONAVENTVRA? collẽ aggredi vereris, Olympus honoris exponitur ad aſcenſum. Inferiora dignitatis reſpuis inſignia, cui majora parantur. Tiaram fugis, Romanam purpuram ſequacem habes. Luctabitur Tecum honoris robur, donec Cardinalitio Caput acclinaveris Galerô, ut deſpectum locum Infulæ occupaverit. Conceſſit victoriæ, quod ſibi humilî faſtidiô negavit, admiſit purpuram infeſtam, Gregorij decimi gratiâ & inſtantiâ meritorum. Trãsfertur ex Mõte Alverni in Vaticanum Sanctior Coloſſô Apollinis in Capitolio, ex Apollonia à Lucullo translatô. Cardinalis creatus feliciter (r) fortiſſimus Rotæ Cardinalitiæ cardo, cum purpura ſolicitudinem de Republica induebat, illi ſalute ſua in mille pericula, projectâ ſecuritatem comparando. Sat illuſtris ex ſe Cardinalitius Murex, ſed illuſtrior, cùm virtutum ad eum acceſſerint fulgores. Gẽma inſeritur annulo, ut pretioſior fiat, Cardinali Archiepiſcopatus Albanenſis confertur, ut Coloſſi magnitudo adæquetur. Tantîs cumulatus honoribûs BONAVENTVRA, cùm nihil fortunæ deberet, virtuti totùm tribuebat, ut & virtuti daret pretium, & fortunam ſtabiliret; ſiquidem cadit fortuna, niſi virtutis robore fulciatur. Opulentiam, qvam Illi advexit felicitas, Eccleſijs tributariam fecit, (s) eamq; expertus nec ſibi nec ſuis Clientibus defuiſſe. Nunquàm domi egere viſus, qvi foris diſtribuit opes, ubertatis ſignum eſt, ſi arboris fructus, extra ſepta ſua protendatur. In felicitate, quâ affluebat, felicem ſe ignoravit, feliciorem depreſſum judicabat, quàm qui ſuprà cæ-

(r) *à Gregorio X.* (s) *Opes in pauperes diſtribuit.*

teros elevatur. In totum Orbem extēditur BONAVENTVRÆ gloria, (t) cùm unionem gēmeus inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiā componeret prudentissimè. Duram Græciam in suo proposito fregit, ad jura pacis coegit, partes tàm fide quàm Orbe dispertitas uniendo. Sed ah dolendum! inter triumphos Latiæ Vrbis & lætos Orbis applausus Cythara in luctum mutatur. Quassatus immortalibûs factîs, lethalî opprimitur morbô BONAVENTVRA, non tamen cessat ignibûs Seraphicîs ardere. Quem Sol Mysticus DEVS illustrat, cui cùm infirmitas occluserit oris ostium, miraculosè pectori illapsus, ut magnitudinem Colossi jacentis confirmet, quòd totum Orbem Eucharisticum in pectore comprehendat. Pacatum Orbem fecit, antequàm moreretur, ut à toto etiam prostratus miraculum videretur. Tempus victores probat, non pugna, Anthæi vires adaugent, dùm cadunt, Sanctorum ac Solis idem munus est, post occasum etiā virtutū splēdore allucere. Ab Vrbe licet recessit, vivit tamen in pectore Civium BONAVENTVRA; illis semper favore suæ naturæ arrisurus. Ad Ecclesiæ utilitatem vixit, pacta fidei vitâ conclusit, morte confirmavit. Cœlo divitias expendit, animam Superis in victimā reddere non moratur. Casu suô Gentes commovit ad mærorem, summum Orbis collem cùm attigit cadendo. Petram Ecclesiæ tàm gravî pōdere oppressit, ut ex ea lacrymarum lymphas hoc est ex Gregorij Decimi oculis elicuerit fluentes. Ex multis Capitibus Colossum BONAVENTVRAM vidistis AA, nunc tandem ex uno Il-

(t) *In Concilio Lugdunensi.*

lius, quod ipſa fata temerare non auſa, compro-
bate. Cuncta edaci temporis dente atteruntur,
unicum BONAVENTVRÆ Caput durius ada-
mante eſt, (u) in quo ipſa æternitas crinem læ-
dere, crimen magnum arbitratur. Sepultus ignis
in cinere viget; BONAVENTVRÆ Collum Sera-
phico igne imbutum, mortalibus ſuppoſitum fa-
villis in ſæcula reſplendet, ut Eum Coloſſum
ignibûs Seraphicîs confirmet refulgentem.

Patere igitur, qualem Te venerabundâ expo-
ſui ſvadâ DOCTOR Diviniſſime. Coloſſum
Te dixi, magnitudinem tamen non attigi, ſuprà
quàm meritîs ſublimaris. Laudes Tuæ, quibus i-
ta poſuiſti principium, ut finem ſæcula non ap-
ponerent, Oratorum ſpiritus fatigant, ingenia ſu-
blimitate ſua excedunt. Coloſſus quidem Sera-
phicîs ignibûs Refulgens ex hoc ſuggeſtu Orato-
rio prominebas, igniculos Oratoris in plauſus
Tuos ardentis diſparere feciſti, ſplendoribûs Tuîs
contentus. Eſto ergò Seraphicæ *Franciſci* Religi-
oni triumphale Septizonium, in quo immortales
ſuas Corymbos, quibûs Orbi redimita prominet,
æternitati appendat; & baſim fortiſſimam age, in
qua benè poſita nullô inſtantium fatorum impe-
petu moveatur. Sarmatico Orbi firmiſſimus
exponaris Atlas, Te ſibi ad nutus quoſvis po-
ſcenti, cujus humeris innixus nunquàm in fune-
ſtos malorum prolabatur caſus. Iagelloneum
Academi Lucum, meritorum ſplendore ab igni-
bus Seraphicis accepto illuſtra, ab eo velut a-

E gmine

(u) *Caput 160. Annis poſt mortem integrum.*

gmine factô conſpirantia adverſantium nubila diſpergendo. Tene Trinas Filiæ Regum Cracoviæ Turres, ne graviter ruant, & ne ſine fortunæ abundantia inter ſemiruta mæniorum tecta relinqvuantur; ut eô ipsô Coloſſus Seraphicîs ignibûs refulgens ab omnibus videaris, qvalem Te hucusq; probavi

ET

DIXI.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0022080